

† R. P. Gulielmus Keicher (1831-1876)

(Prov. Germ. Inf., hodie Colonien.)

Ideo tam tarde huius sodalis necrologium evulgatur, quod nuper fortuito praeclarum de eius fine encomium invenimus, quod eius Superior Provincialis P. Matthias Schmitz P. Generali N. Mauron 17 Maii 1876 Luxemburgo Romam misit, et certe dignum, quod ad omnium confratrum notitiam tandem aliquando perveniat. Quae ibi de anteriore vita desunt, ea supplentur e necrologio a P. Ios. Aloisio Krebs in *Kurze Lebensbilder der verstorbenen Redemptoristen der Ordensprovinz von Nieder-Deutschland*, t. I, p. 48-55, publici iuris facto.

Gulielmus Keicher, origine Suebus e pristino regno Wuerttemberg, natus est in Duttonberg, dioecesis Rottenburg, 10 Febr. 1831 atque eodem die ex aqua baptismali regeneratus. Ordinatus sacerdos pro servitio suae dioecesis 9 Aug. 1856, haud communi zelo statim operari coepit in oppido Mergentheim, sed post triennium, anhelans maiorem perfectionem abundantioreque animarum messem, nostrum missionale Institutum amplexus est, et in Provincia quidem Germaniae septentrionalis, vota nuncupans in domo Westfaliae Maria Hamicolt 3 Oct. 1860.

In patria huic eximio missionario vix duodecim anni sacri ministerii concessi sunt, donec persecutio Bismarckiana *Kulturkampf* eum inde expulit. Die 10 Aug. 1872 (erat tunc Rector domus Trevirensis) cum duobus sociis missionem in paroecia Wehlen ad Mosellam inchoaverat, cum post paucos dies supremus magistratus civilis, vulgo *Regierungspräsident*, nostris omnem praedicationem prohibuit, quamquam per nefas; nam lex borussica aqua ignique interdicens Redemptoristis tanquam « Iesuitis affiliatis » non est lata nisi Maio 1873.

Communitati Trevirensi dies expulsionis fuit d. 30 Septembris illius anni. Fortunata Provincia Germ. Inf. iam possidebat Luxemburgi magnum collegium, quo ipse Provincialis P. Schmitz cum P. Hugues illo die se recepit. Providus Provinciae Superior insuper prope confines Germaniae duo refugia paraverat: *Echternach* in magno ducatu Luxemburgensi et *Tavigny* in Belgio. P. Keicher, adscriptus domui Echternach, ibi per aliquod tempus fecundum suum apostolatam continuare potuit, veluti domi exercitia spiritualia tradens sacerdotibus et Seminarii alumnis, foris autem missiones praedicans; sed iam Dominus stabat ad portam, servo fideli mercedem daturus. Audiamus nunc relationem P. Provincialis Schmitz profecto « authenticam ».

« Gratum proculdubio Paternitati tuae erit aliquid de ultimis diebus ac de morte desideratissimi P. Keicher rescire. Morbus eius lethalis, hydrops, primum — et statim graviter — apparuit in octavario (1) Immaculatae Conceptionis ab

(1) P. Krebs loquitur tantum de triduo.

eo in Merton praedicato. Postremo die concio ei valde difficilis evasit. Ut postea suo confessario confessus est, sibi persuasum habebat hanc esse suarum concionum ultimam. Pro argumento elegerat Beatissimam Virginem, et stans in sacro suggestu se sensit impulsus ad adiungendum sermoni actum sollemnis consecrationis. Dum vero seipsum sanctae Deigenitrici consecrat, adeo commovebatur, multis lacrimis eius genas conspergentibus, ut vix loqui posset.

« Exinde per quattuor fere menses (tamdiu ultima eius infirmitas duravit) in pedibus ac cruribus acutissimos habuit dolores, ita ut neque interdiu nec noctu requiem capere posset. Quamvis eo tempore quandoque aliquod impatientiae signum daret, tamen interne eius voluntas semper voluntati divinae unita manebat; etenim, ut suo confessario confessus est, se totum Deo obtulerat ut victimam una cum formali declaratione se exaudiri nolle, si unquam violentorum dolorum mitigationem vel liberationem efflagitaturus esset. Ultimis diebus erat ipsa patientia ac boni infantis instar.

« Tribus extremis Maioris Hebdomadae diebus eius animus fere continuo occupabatur Passione Domini, quem a Monte Olivarum ad Calvariae Montem comitabatur. Etiam liturgicas caeremonias pro viribus participabat. Fere cotidie tempore suae infirmitatis recipiebat communionem; ultimam Sabbato Sancto post Missam sollemnem, facta prius denuo suorum commissorum confessione. Recitata Protestatione bonae mortis renovavit sua religionis vota.

« Intra hunc diem et noctem insequentem orando cum Deo coniunctus mansit. Si quando delirare coeperat, satis erat ei aliquam precem iaculatoriam suggerere, ut denuo sui compos fieret et precatiunculam illam repeteret. Ipso festo Paschatis [16 Apr. 1876] mane circa h. 3½ levi sommo oppressus est et in hoc sopore post quadrantem, absque ulla agonia, transmigravit in alterum mundum, recepturus, uti speramus, pulchram coronam. Ultimis mensibus corpus diffuderat foetorem vix ferendum, quia ob gangraenam carnes crurium putrefactae erant; at post obitum nil amplius huius mali odoris sentiebatur, ita ut omnes mirarentur. Funus ei persollemne celebratum est, cum populo Epternacensi carissimus esset. Spes nos tenet bonum Patrem nunc gaudiis Paradisi perfrui ac pro nobis orare » (1).

C. H.

(1) AGR, PGI, II. 6. b.